



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

65. Cum Sacr. Rituum &c. Decretum quo elogium S. Pii Papæ V. pro
Martyrologio, & nonnulla verba addenda tertiæ lectioni secundi Nocturni
de eodem Sancto Pontifice approbantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)

1173.

1714.

DECRETUM

XVI.

Quo elogium S. Pij Papæ V. pro Martyrologio, & nonnulla verba addenda tertiæ lectioni secundi Nocturni de eodem Sancto Pontifice approbantur.

Urbis & Orbis.

Cum Sac. Rituum Congregatio sub die 28. Januarii 1713. Eminentiss. & Reverendiss. D. Cardinali S. Clementis proponente instantiam R. P. Generalis Ordinis Prædicatorum pro Elogio S. Pii V. in Martyrologio apponendo, nonnullisque verbis in lectionibus secundi Nocturni addendis remiserit: idemque Eminentissimus, & Reverendissimus Dominus Cardinalis sequens Elogium pro Martyrologio videlicet: *Rome S. Pii Papæ V. ex Ordine Prædicatorum, qui Ecclesiastica disciplina restituenta, hæresibus extirpandis strenue, ac feliciter incumbens, Vita, ac Legum Sanctitate Catholicam Ecclesiam gubernavit, nec non pro tertia lectione secundi Nocturni, post illa verba, multis à Deo ejus intercessione patris miraculis, infra scripta nempe: Quibus ritè probatis à Clemente X. Pont. Max. Sanctiorum numero adscriptus est; à se diligenter revisa, in eadem Sac. Rituum Congregatione pro approbatione retulerit; Eadem Sacra Congregatio tum Elogium, tum verba prædicta approbavit, & in Martyrologio, ac Lectionibus apponi, imprimique posse concessit, si Sanctissimo placuerit. Die primâ Julii 1713.*

Factaque deinde per me infra scriptum Prosecretarium Sanctissimo Domino Nostro de prædictis relatione, Sanctitas Sua benignè annuit, Die 8. ejusdem mensis, & anni 1713.

G. Card. Carpineus.

N. M. Tedeschi Episc. Liparit. Sac. Rit. Congr. Prosecret.

DECRETUM

XVII.

Quo Officium S. Agathæ V., & M. sub Ritu duplici ad Ecclesiam universalem extenditur.

Urbis, & Orbis.

Cum aliàs sub die 10. Septembris 1701. Sac. Rituum Congregatio, annuente Sanctissimo Domino N., Officium S. Agathæ Virginis, & M. die 5. Februarii sub Ritu semiduplici recitari consuetum, ut in omnibus Hispaniarum Regnis sub Ritu duplici celebrari posset, indulerit: Ad humillimas modò preces Episcopi Catanienfis eidem Sanctissimo Domino Nostro porrectas, & à Sanctitate Sua ad ipsam Sac. Rituum Congregationem remissas, quibus expositum fuit, ut idem Officium sub Ritu duplici ad totam Ecclesiam universalem extendere dignaretur, Sacra eadem Congregatio, referente Eminentissimo, & Reverendissimo D. Cardinali Albano gratiam petitam concedendam esse censuit, prædictumque Officium ab omnibus Christianis, qui ad horas Canonicas tenentur, sub Ritu duplici in postèrum recitari, & ita in Breviario apponi, ac servari mandavit; si Sanctissimo D. Nostro placuerit. Die 26. Augusti 1713.

Factaque deinde per me Prosecretarium de prædictis Sanctissimo Domino Nostro relatione Sanctitas Sua benigne annuit, Die 29. ejusdem mensis, & anni 1713.

G. Card. Carpineus.

N. M. Tedeschi Episc. Liparit. Sac. Rit. Congr. Prosecret.

DECRETUM.

XVIII.

Quo novum Officium S. Josephi Sponsi Beatissimæ Virginis Mariæ pro Ecclesiâ universali approbatur.

Urbis, & Orbis.

Ad confovendam, imò etiam augendam Fidelium devotionem erga S. Joseph Sponsum Beatissimæ Virginis Mariæ, ejusque Cultum ferventiùs semper promovendum, Sac. Rituum Congregatio Officium cum novis Antiphonis, Versibus Lectionibus primi Nocturni, Responsoriis, & Capitulis, ab Eminentissimo, & Reverendissimo D. Cardinale Albano in eadem Sac. Rituum Congregatione relatum approbavit, ac ab omnibus Christianis, tam Sæcularibus, quàm Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur, die 19. Martii in festo ejusdem S. Joseph in postèrum recitari, & in Breviario apponi mandavit, si Sanctissimo Domino Nostro visum fuerit die 3. Febr. 1714.

Factaque deinde per me Prosecretarium de prædictis Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas Sua benignè annuit. Die 4. ejusdem mensis, & anni.

F. Card. de Abdua Præfectus.

N. M. Tedeschi Episc. Liparit. Sac. Rituum Congr. Prosecret.

DECRETUM

XIX.

Quo Officium S. Joannis de Deo ad Ecclesiam universalem sub Ritu semiduplici extenditur.

Urbis, & Orbis.

Plis Cæsareæ Majestatis, Regis Christianissimi, nec non Magni Ducis Hætruriciæ precibus Sanctissimo Domino nostro porrectis, & à Sanctitate Sua ad Sac. Rituum Congregationem remissis, quibus supplicatum fuit, ut Officium Sancti Joannis de Deo Ordinis Fratrum Hospitalitatis Fundatoris, jam aliàs pro eodem Ordine, ac pro Regnis Hispaniarum, & Lusitanie approbatum, atque concessum, ad Ecclesiam universalem extendere dignaretur, Sac. eadem Rituum Congregatio, referente Eminentissimo; & Reverendissimo D. Cardinali Casino, annuendum esse censuit, supra scriptumque Officium ab omnibus Christianis, tam Sæcularibus, quàm Regularibus, qui ad horas Canonicas tenentur, die 8. Martii sub Ritu semiduplici recitari, & in Breviario apponi mandavit, si Sanctissimo Domino Nostro visum fuerit die 21. Aprilis 1714.

Et facta deinde per me Prosecretarium de prædictis Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas Sua benignè annuit, Die 5. Maji ejusdem anni 1714.

F. Card. de Abdua Præfectus.

N. M. Tedeschi Episc. Liparit. Sac. Rituum Congregat. Prosecret.

DECRETA VARIA

XX.

Ad Missarum celebrationem pertinentia summam collecta, quæ in Missali typis Sacre Congregationis de Propagandâ Fidei novissime impresso edita sunt.

Urbis, & Orbis.

Cum occasione Missalis Typis Sacre Congregationis de Propagandâ Fidei summâ curâ, ac